



**Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena**

**Cabilliau, Baudouin**

**Antwerpen, 1625**

Elegia VII. Magdalena fulmine tacta ad Siloën sacrum fontem confugit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70461)

Letæusque latex imo prorumpit Auerno,  
 Quem nigra Cerbereis spuma venenat aquis:  
 Quaque ruit ripâ Phlegethontide liuidus amnis,  
 Alluit, & lambit flamma proterua pedes:  
 Sollicitumque latus tacito fax ambedit igni:  
 Illa tamen mediis hæret inuſta rogis.  
 Vincla manu, fert vincla comis, fert vincula collo  
 Magdala, & ipſa merum iam ſibi rete iacet:  
 Prædaque iciunis occurrit idonea monſtris,  
 Irritatque truces in ſua damna feras.  
 Ah! perit ah! ſæuis obnoxia Nympha periclis,  
 Mille petita dolis, mille voranda lupis.  
 Ergon' in horrendos nunc Magdalis ibit hiatus  
 Monſtriparæ lernæ, flammiuomofque ſpecus?  
 Tun' ſinis hæc, ô vna Salus, Menſq; arbitra rerû,  
 Aurea qui torques aſtra potente manu?  
 Ergo triumphato ſpolium tam nobile Cælo,  
 Detrahet in Stygias victor Auernus aquas?

## ELEGIA VII.

MAGDALENA *fulmine tacta ad Siloën  
 ſacrum fontem confugit.*

**H**AS vbi ſollicito Timor occinit ore querelas,  
 Et ſupplex auidas voluit ad aſtra preces:  
 Ilicet ab læuâ dextrum Deus annuit omen;  
 Intonat ardentem ad ſua bella minas.  
 Denſa coit nubes, crebris micat ignibus æther,  
 Horrificumque Polus mugit in excidium.  
 Sylua tremit, tremit æthra, ſolum tremit, adtre-  
 mit Orcus,  
 Cypris, & in trepidâ Cypride Diua tremit.

Ecce

Ecce repens rapidis fragor ignibus increpat orbē;  
 Icta flagrat myrtus, flagrat & iccta Venus.  
 Flagrat Acidalius grex omnis, & aliger hostis,  
 Monstriferæ lernæ, lerniferæque feræ.  
 Desflagrat & mundus, mundiq; superba supellex;  
 Magdaleumq; cremat flamma corusca caput.  
 Nabra, lyræ, miniū, speculum cū pectine, torquis,  
 Omnia nunc vnus cassus honore cinis.  
 Quin etiam & mediis collucet Magdala flammis,  
 Sollicitatque procax ignis inerme latus.  
 Bis voluit sæuas depellere pectore flammās:  
 Bis voluit frustra pellerè vana faces.  
 Quid faciat? passis vt erat non comra capillis,  
 Ardenti speculo Magdalis vsta fugit:  
 Quaque pedes Solymos rapit error & horror in  
 agros,  
 Effugit arsurum fulmine tacta nemus:  
 Donec anihela sacras Siloës deuenit ad vndas,  
 Quas toties puro contigit ore Deus.  
 Hic teneras elumbe latus submittit in herbas;  
 Hic gemit, & gelido temperat amne faces.  
 O quoties agros attollit ad æthera vultus,  
 Et cum voce pias tollit ad astra manus!  
 O quoties imis reuocat sua lumina terris,  
 Rursus & in tepidis ora supinat aquis!  
 O quoties auidas ardenti pectore flammās  
 Discutit, & gelidâ mersat inerme caput!  
 Vritur, & nescit vario in discrimine leti,  
 Quæ via prima spei, quæve secunda patet.  
 An fugiat, sedeátve, pari mens fluctuat æstu;  
 Hinc timor ire, iubet stare salutis Amor.

E L E-